

scribebat S. Hieronymus, isti foveant inimicam suam, id est, carnem suam.

Inst. : Saltem in dubium revocari nequeunt progressus quos religio christiana ingentes fecit Protestantium missionariorum operâ in insulis Sandwichianis, quæ jacent in Oceano Pacifico, necnon in aliis insulis ejusdem maris socialibus nuncupatis, quæ sub illorum culturâ ita profecerunt, ut altera Paraquaria jure dici possint. Ergo. — Resp. : Dist. : Id est, operâ missionariorum Protestantium dissipata sunt optimæ illorum populorum dispositiones, concedo; Religio propagata est, nego. Nempe tum rex ac principes illarum regionum, utpotè optimâ indole præditi, subditos suos ab idolatriâ abduxerant, interea ministros religionis christianæ exoptaverant atque petierant ab Anglis, qui ad ipsos Protestantes missionarios, puritanos præsertim, miserunt. Sed simul suum influxum virtutemque illuc intulerunt ejusmodi Apostoli (ut plurimum sutores, sartores, etc.), illic omnia permiscuerunt ac perturbarunt, seditionem, ignaviam, inertiam omniumque vitiorum colluviem quacumque disseminarunt. Sanctè adeò instruebant suos proselytos, ut Sandwichianorum rex Riho Riho, qui à quinque annis jam baptismo lustratus erat cùm Londini mortuus est, et polygamiam sectaretur et incestum; inter cæteras enim uxores suas habebat propriam sororem, quam secum in Angliam duxerat, quæque Londini pariter defuncta est (1). Eos non secus ac Pomarem regem insularum socialium poenituit, quòd accersiverint ejusmodi prædicatores, qui veluti grando ac ventus urens omnia mala secum in illas insulas detulerunt ex confessione ipsorummet protestantium (2). Hinc novi sunt accersiti missionarii, catholici nempe, qui eò appulerunt an. 1827; atque ex tabulis, quæ an. sequenti ad nos pervenerunt, colligitur eos citò cœpisse tot infortuniis illorum incolarum occurrere, protestantes omnem ferè influxum jam amisisse in illos populos, et florere jam religionem catholicam (3). Ecquid aliud hæresis nisi desolationem ac mortem producere potest? Fructus vitæ non nisi veritas potest afferre.

PROPOSITIO XI. — *Culpabiliter in hæresi vel schismate vel incredulitate ex hac vitâ decedentibus nulla salus esse potest.*

Hæc propositio, quæ sectarios omnes et incredulos valdè commovet, non solum ex Scripturæ auctoritate ac perpetuo et constanti Ecclesiæ catholicæ sensu, verum et ex ipsâ ratione apertissimè constat, ita ut cæcus sit oportet, qui ejusdem veritatem non

(1) Annal. de l'association, etc., n. 21, juillet 1830 p. 286.

(2) Times, 20 sept. 1830, rev. 70, p. 609.

(3) Annal., etc., ib., p. 273, seqq.

videat. Jam verò, ut patet ex ipsius propositionis enuntiatione, de iis hic tantum agitur, qui *culpabiliter* vel in hæresi vel schismate, aut incredulitate versantur, seu de iis qui *formales*, ut aiunt, sectarii sunt, minimè verò de *materialibus*, ut præfertur, seu de iis, qui ab infantia erroribus ac præjudiciis imbuti sunt, quique nec dubitant quidem se in hæresi vel schismate versari, vel si quod dubium in ipsorum mentibus exsurgit, toto corde ac sincero animo veritatem inquirunt: hos enim ad Dei judicium remittimus, cujus est cordium cogitationes habitusque introspicere atque scrutari. Dei enim bonitas et clementia non patitur quempiam æternis cruciatibus addici, qui voluntariæ culpæ reus non sit. Contrarium affirmare esset contra expressam Ecclesiæ doctrinam (1).

Porrò contumaces adversus Ecclesiæ definitiones, vel pertinaciter ab Ecclesiæ unitate divisos, salutem

(1) Huc enim referri possunt propositiones in Baio proscriptæ, nempe 68: « Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est; » et 67: « Homo peccat damnabiliter etiam in eo, quod necessariò facit. » Item 59, etc.; quæ licet præcisè sint de infidelibus negativis, ratio tamen eadem est quoad hæreticos, qui invincibili ignorantia laborant. Sed audiatur S. August. : « Qui sententiam suam, ait, quamvis falsam atque perversam, nullâ pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis in errore lapsis parentibus acceperunt, querunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenierint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. » Ep. 45, edit. Maur. al. 162, cons. præterea tract. 45, in Joan. et in lib. de Util. cred. c. 1, edit. Maur. t. 8, lib. de hæres. ad *Quodvultdeum*, c. 1, circa finem, etc. Sic cæteri Patres, quos longo agmine citare possem, qui in eadem sententiâ sunt. Quare meritò Suarez de fide, etc., disp. 19, sec. 5, ubi querit « utrum sit de ratione hæresis ut voluntariè et cum pertinaciâ committatur. » Resp. n. 1: « In primo puncto hujus articuli generaliter sumpto nulla est difficultas: certum est enim de ratione hæresis esse, ut voluntariè fiat. Ita docent omnes *theologi*, D. Thom. 2-2, q. 11, a. 2, et 1 p., q. 52, a. 4, et *reliqui scholastici... et Patres antiqui*, etc.; » et n. 9: « Primò statuendum est pertinaciâ esse de ratione hæresis. In hoc fundamento conveniunt omnes doctores allegati... et meritò, quia expressè in *jure canonico traditur*, etc. » Cons. ex recent. Bergier, diction. art. *hérésie*, église § 5, item De la Forest, Méthode d'instruction pour ramener les prétendus Réformés à l'Église Romaine. Rome, 1817, second entretien, p. 23, seqq. — Card. de la Luzerne évang. du 19^e dim. après la Pentec. Blancu

obtinere non posse, seu in perpetuum damnatum iri satis apertè Christus declarat, sive cùm apud Matthæum inquit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (1); sive cùm apud Lucam ait: *Qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit me* (2); vel apud Marcum: *qui verò non crediderit condemnabitur* (3); ac demùm apud Joannem: *Qui non credit jam judicatus est* (4). Quare apostolus Paulus hæreticos dicit *subversos et proprio judicio condemnatos* (5), et Apostolus Petrus eos vocat *magistros mendacii, qui introducunt sectas perditionis, Dominum negant, superinducunt sibi celerem perditionem* (6). S. Joannes passim eos vocat *antichristos* (7), *seductores* (8), qui propterea sollicitè discipulos suos admonet, ut caveant ab ejusmodi seductoribus, scribens: *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis. Omnis qui recedit et non permanet in doctrinâ Christi, Deum non habet* (9). Apostolus Judas eos vocat *illosos quibus procella tenebrarum servata est in æternum*; (10) et hos quidem, addit, *arguite judicatos* (11): quæ quidem omnia ita sunt perspicua, ut commentario non egeant.

Patres apostolici his principiis inherentes, eorum vestigia perquam diligenter sectati sunt, et quemadmodum Apostoli Simonianos, Nicolaitas, Cerinthianos, Phantasiastas, Ebionæos ab Ecclesiâ expulerunt, iisque pœnas æternas, nisi resipiscerent, denuntiârunt, sic eorum discipuli ac successores Menandrianis, Basilidianis, Saturnianis, Marcossianis, Valentiniis, Gnosticis cæterisque illius ætatis novatoribus ac protestantibus easdem æternas pœnas comminati sunt (12). Ita SS. Ignatius, Polycarpus, Irenæus, Justinus, Theophilus, etc. Ex quibus S. Ignatius: *Ne erretis, inquit, fratres mei. Si quis schisma facientem sectatur regni Dei hæreditatem non consequitur. Si quis in alienâ sententiâ ambulat, iste passioni non consentit, cujus quidem assertionis hanc rationem reddit: Quotquot autem penitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et isti Dei erunt*; alibi S. martyr hæreticos vocat *feras humanam formam præ se ferentes, patronos mortis magis quam veritatis, abnegatos à Christo, Christum ignorantes, quos non nisi rarò ac difficulter ad penitentiam converti affirmat*; docet præterea mortiferum eos propinare *pharmacum, quod qui ignorat libenter cum voluptate noxiâ mortem accipit; à quibus propterea omnes custo-*

Opuscoli storici critici, etc., t. 2, lettera sullo stato degli eretici e scismatici, etc., ut alios quamplures præteream.

- (1) 18, 17.
- (2) 10, 16.
- (3) c. ult.
- (4) c. 3, 18.
- (5) Ad Tit. 3, 10, 11.
- (6) 2 Pet. 2, 1.
- (7) 1 Joan. 2, 18, 19, et alibi.
- (8) 2 Joan. 7.
- (9) Ib. 8, 9.
- (10) Judæ, 13, 18.
- (11) Ib. 22.
- (12) Eus. Hist. Eccles. l. 4, c. 7.

diendos sollicitè admonet. Ita quidem de hæreticis sui temporis Ignatius. S. Polycarpus verò adeò ab hæreticis abhorrebat, ut cùm audiret aliquas adversus receptam doctrinam novitates, obturatis sibi auribus, exclamaret: *Deus bone, quæ me in tempora reservasti, ut hæc sustinerem? Atque statim è loco fugiebat, in quo stans aut sedens ejusmodi sermones audisset* (1). S. Justinus non dubitat hæreticos vocare *atheos et impios, injustos et exleges* (2), sed præterea addit eos esse, quos Christus prænuñtiaverat *lupos indutos pellibus ovium, pseudochristos, pseudoapostolos*, fidelium seductores, eosque appellari eorum nomine, à quibus secta quæque et opinio ortum habuit « nonnulli enim, ait ipse, vocantur Marciani, alii Valentiniiani, alii Basilidiani, alii Satorniliani, alii aliud vocabulum habent ex suæ quisque sectæ principe (3); » et Judæorum pseudopropheta comparat qui quæ ab impuro spiritu diabolo sunt mentibus suis injecta, docuerunt et etiam docent (4). S. Theophilus, cùm perbellè Ecclesias sanctas per orbem dispersas insulis frugiferis comparasset aquâ salubribus, stationibus ac portibus munitis, ut iis qui tempestate factatis perfrugio esse possint, ad quas proinde, qui salutem consequi cupiunt, veritatis facti amatores se recipiunt; hæreticas verò sectas insulis saxosis et inaquosis, infrugiferis, ferarum plenis, ad perniciem navigantium et tempestatem subeuntium appositis, in quibus naves conteruntur, et qui appellunt penitis pereunt, concludit: *Ita se habent erroris doctrina, hæreses dico, ad quas qui accedunt omninò pereunt* (5). Ita quidem Patres apostolici unanimiter docent, à quibus hanc doctrinam pariter hauserint subsequentes Patres, ita ut omnes unius sententiæ hæc in parte sint, quin vel unus excipi possit (6).

Non est propterea, cur eorum testimonia hic sigillatim exscribam; non possum tamen me cohibere, quin afferam nonnulla S. Cypriani dicta, qui non solum docet Apostolos hæreticos execratos esse, non solum graphicè eos describit, gladiis ac venenis eos subruere veritatem adstruit, negat esse christianos et multos secum trahendo decipere affirmat; non solum vocat *pestes, bestias, fures, latrones, prædones, lamiones*, aliisque non minùs probrosis nominibus compellat, sed præterea, quod non est sine animadversione præ-

(1) Ap. Eus., l. 5, c. 20.

(2) Dial. cum Tryph., n. 55.

(3) Ib. Satis porro est ut protestantes subrogent propriæ sectæ denominationes, nempe Lutheranos, Calvinistas, Zwinglianos, Socinianos, etc., et patebit se ib. esse descriptos: *Τινες καλοῦμενοι Μαρκανοί, οἱ δὲ Ουαλεντινιανοί, οἱ δὲ Βασιλιδιανοί, οἱ δὲ Σατορνιλιανοί, καὶ ἄλλοι ἄλλω ὀνόματι ἀπὸ τοῦ ἀρχηγέτου τῆς γλώσσης ἑκαστοῦ ὀνομαζόμενος.*

(4) Ib. n. 82. *Ἀπὸ τοῦ ἀκαθάρτου πνεύματος διαβόλου ἐμβαλλόμενοι ταῖς διανοίαις αὐτῶν ἐδίδαξαν, καὶ διδάσκουσι μέχρι νῦν.* Videant hic Lutherani præsertim num hæc quadrent in Lutherum cùm scriberet librum *de Abrogandâ Missâ privatâ*.

(5) Lib. 2, ad Autolyeum: *Οὗτοι εἰσιν διδασκαλὶαι τῆς πλάνης, λέγου δὲ τῶν αἰρέσεων, αἱ ἐξαπολλύουσι τοὺς προσελθόντας αὐταῖς.*

(6) Ita S. Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, cæterique omnes.

terminandum, causam aperit et originem hæreseon omnium atque repetit ex eo, quod caput Ecclesie non queritur, primatus Petri contemnitur, et cathedra ac ecclesia una et episcopatus unus describitur. Asserentes, inquit, noctem pro die, interitum pro salute, desperationem pro obtentu operis, perfidiam sub prætextu fidei, antichristum pro vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Hoc eò fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput queritur, nec magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret et examinet, tractatum longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego dico tibi, etc.* (1) Et cum hæreses, prosequitur, et schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt veritatis caput, atque originem reliquerunt, nempe Romanum pontificem de quo locutus fuerat. Demum concludit, « Tales (hæretici et schismatici) etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur... esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est, ad regnum pervenire non potest, qui eam, quæ regnatura est, dereliquit (2). »

Vix tamen opus est auctoritate ad veritatem hanc adstruendam, cum ratio ipsa evidenter eam evineat: quicumque enim peccati alicujus lethalis reus est, et cum ejusmodi noxâ ex hac vitâ decedit, perpetuam damnationem incurrit: atqui peccatum lethale et quidem gravissimum est voluntariè schismati vel hæresi aut incredulitati adhaerere, veritatem à Deo credendam propositam respuere, legitimam et divinitus institutam auctoritatem contemnere, Ecclesiam non audire, et privatum sensum pertinaciter adversus Ecclesie doctrinam sequi. Ergo.

Atque hinc factum puto, ut Protestantes ipsi, qui nunc nobis succensent ob istud dogma fidei catholice, quod propugnamus, nullam videlicet dari salutem extra Ecclesiam catholicam, ad hæc ferè tempora id ipsum docuerint. Licet enim semper fluctuantes fuerint circa molestam ipsis quaestionem, num catholici salvi fiant: ac modò affirmaverint, modò negaverint, attamen certò certius est plures ex ipsis, Starkio protestante referente, spectare propriam Ecclesiam seu veriùs sectam veluti *solam operantem salutem* (3); ac Sulzer testatur se adhuc invenisse in quodam mandato magistratûs Tigurini in Helvetiâ an. 1740, quòd Ecclesia reformata dicta fuerit *solâ operans salutem*, quin etiam observat Henricum Dowdwellum docuisse sec. XVII, *solâ membra ecclesie episcopalis posse spem certam habere perveniendi ad æternam beatitudinem* (4): quæ doctrina omnes profectò reformatos, presbyterianos cæterosque omnes, ut ipsi vocant, *non-conformistas* excludit ab æternâ

(1) De unit. Eccles.

(2) Ibid.

(3) Entretien philos., etc., p. 405.

(4) V. Vérité et Amour par Sulzer, p. 199, seq.

salute. Ecclesia anglicana adhuc retinet Symbolum athanasianum nuncupatum, quod certè excludit à salutis consecutione omnes unitarios, methodistas, rationalistas, imò et Græcos schismaticos negantes Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere. Recens minister protestans affirmat se plures novisse ministros Anglicanos dicentes non posse sibi persuadere eos, qui in Trinitatem non credunt, posse salvari (1). Quo fundamento autem id sentiant diversæ protestantium sectæ, prorsus ignoro; cum æquè novatores omnes sint atque ex eodem principio independentiæ religiosæ progenitæ, multò minus intelligo, quare tot fidei confessiones cuderint et recuderint, quas jam inde à suo tempore recensebat Bossuetius (2), quibus novus et satis prolixus catalogus addi posset. Sed operam perderet, qui coherentiam in protestantibus quaereret. Id solum ex dictis colligo, nullam esse rationem cur nobis adeò irascantur, dum docemus, quod ipsorum sectæ ad hæc usque tempora docuerunt. Quòd si ipsi postea mutarunt sententiam, ut in cæteris omnibus, numquid et nos Catholici mutare debemus? Error mutari potest, veritas non potest (3).

(1) Auct. opusc. « Quelques réflexions sur la maxime chrétienne : hors de l'église il n'y a point de salut. » Paris 1827. Vid. etiam Lessius in append. ad tract. consultat. de religione, etc., c. 4, q. 2, rat. 8.

(2) Hist. des variat. præsertim lib. 5, § 1 seqq. lib. 8, §§ 16, 17, 65, lib. 9, §§ 86, 87, lib. 10, §§ 58, 68, etc.

(3) Sed rursùm hic adnotare debemus perplexitates, et arbitrariam docendi ac sentiendi rationem in Babele Protestantium, inter quos alii adeò januas cœlorum aperiant, ut velint ipsas patere non solum hæreticis, etc., sed etiam ipsis idololatris, ut ex adductis documentis evincitur; alii adeò illas ocludunt, ut aditus non pateat vel ipsis laborantibus invincibili ignorantia, ut ex cit. op. Starckii patet. Alii accusant catholicam Ecclesiam veluti barbaram, eò quòd profiteatur extra proprium sinum nullam dari salutem, et ita porrò. Jam verò neque in præsentia inter Protestantes desunt, qui adhuc doceant extra propriam sectam nullam esse salutis spem. En quomodo scribat D. Harms: « Extra Ecclesiam (Lutheranam) non est salus. Neque approbare possumus, si quis nostrum ad catholicam aut reformatam Ecclesiam transeat non obstante in ita societate, de qua supra; nam apud nos est selectissima Ecclesiastica institutio (quis dubitet?). Potiùs verò quam ut aliqui nostrum in rationalisticam unionem conveniant (quæ tamen est fructus naturalis protestantismi) concedere possumus, ut Judei fiant, etsi hoc ceteroquin legibus civilibus sub capitis penâ vetitum sit. Einige Winke, etc., id est: « Nonnulli nutus et exhortationes de rebus ad Ecclesiam spectantibus » Kiel 1820. Theremin verò sic concionatur: « Jus alios damnandi utique nos habemus, nam scriptum est: qui non credit jam judicatus est. Et quare illos non damnabimus, quos Deus ipse damnavit? » Predigten, etc., seu Conciones, vol. 2, Berol. 1819. Professor Gotting. Elvers: « Quia et nos, sicut Lutherus, inquit, pericula in Ecclesia catholica non ignoramus, et firmam salutis spem in solâ fide in hæc Ecclesia nunquam doceri aut teneri videmus: debemus et nos sicut Protestantes, majores nostri, huic adherere sententiæ, non quòd omnes Catholici æternum damnentur, nam tam terribile judicium nobis nunquam arripuimus (et si arripent, parum

Sequitur autem ex dictis I. Quam malè propria consulant salutem, qui effluant *probi hominis* non esse deserere eam religionem, in qua unusquisque natus est et enutritus. Idololatram enim, Islamitam, etc., hanc eandem exceptionem facere potuissent, vel etiam possent adversus Apostolorum et Ecclesie prædicationem. Si *probi hominis* non est deserere religionem in qua quisque natus est, cur igitur Protestantes tot Biblia, tot impensas, tot labores insumunt in missionibus quas tanto studio atque impetu promovent? Ast inde solum ejusmodi principium inter Protestantes invaluit, quia cum viderint suas sectas ubique dilabi, ac plures quotidie ex ipsis ad Ecclesiam catholicam se recipere, ejusmodi commentum effutierunt, ut per hunc saltem inanis honoris prætextum sectarii retinerentur. Sanè nihil potiùs probo esse potest homini honesto ac ingenuo, quam non amplecti veritatem, cum ipsius menti affulget, et velle in proprio errore cognito et detecto persistere. Quanquam, ut veriùs dicam, hæretici, schismatici, et increduli accedendo ad Ecclesiam catholicam, inter matris amplexus demò redeunt, quam ipsi vel eorum majores per summum nefas deseruerunt.

Sequitur II. Unumquemque pro viribus teneri dubia, quæ interdum sibi suboriuntur, discutere et veritatem inquirere, eamque statim amplecti, cum eam deprehendit, quin velit in gravissimâ habituali noxâ vitam degere, ac damnationis æternæ evidenti periculo sese exponere, moras nectendo ad conversionem.

Sequitur III. Non solum gravissimi criminis reos illos esse qui veritatem Dei in injustitiâ detinent, quique quaestum faciunt ex animarum damnatione, verum etiam eos omnes, qui omnem diligentiam non adhibent in inquisitione veritatis, ac negligunt negotium maximi momenti, qui propterea sibi solis imputare debent æternæ damnationis reatum si ex ipsorum culpabili vel socordiâ, vel morâ, ac præcipuè orationis neglectu veritatem non agnoscent, et ad Ecclesie sinum non redeunt.

Difficultates.

I. Obj.: Apostolus scribit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superedificat super fun-*

« tali judicio Catholici commoverentur, sed quòd protestans, qui Ecclesiam suam relinquit, et catholicam fidem amplectitur, veram Evangelicam fidem (nego suppositam) non inquirendo, neque sibi illam adsciscendo, salutem suam æternam magno exponit periculo (hui quibus scrupulis tanguntur!), prout et protestans pater filios catholicè instituendo, ipsorum æternam salutem dubiam reddit. » Ita in Ephem. univ. Eccles. 1827 n. 489.

Novissima agenda borussiana continet et Symbolum athanasianum quod sic incipit: « Qui salvus fieri cupit, rectam præ omnibus christianam (Symbolum dicit catholicam) fidem habeat oportet. Qui illam non omnino integram aut puram habet (qualem videmus teneri à Protestantibus, qui Scripturas rejiciunt, Apostolos accusant, et Christum ut seductorem habent et entusiastem, etc.) absque dubio in æternum peribit; sic verò implicet: « Hæc est recta christiana fides; qui ipsam firmè et fideliter non tenet, salvus fieri non potest. »

damentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit... uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit... si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Unde sic: Qui ædificant super fundamentum Christi fœnum et stipulam, si profectò sunt, qui doctrinas fortè erroneas docent: atqui tamen asserit Apostolus eos tantum probandos esse quasi per ignem, non verò æternis cruciatibus plectendos. Ergo.

Resp.: Nego maj. Etenim hæretici non superædificant, sed destruunt et subvertunt fundamentum Christi, ut patet ex v. 17, quos *destruet Deus*, ut addit Apostolus: in adductis igitur verbis loquitur de his doctoribus, qui reipsâ superædificant; ac docet, eos qui doctrinam germanam et solidam tradunt consecuturos esse mercedem; eos verò, qui vanam, inutilem et ad captandam gloriam prædicant, operam perdituros, et operis jacturam esse passuros (1); haud dissimilem interpretationem adducti testimonii exhibet ipse Rosenmüller.

H. Obj.: 1° Licet sectarii errent ab Ecclesia dissentiendo, attamen certâ persuasionem ducuntur, se veritatem tenere et obsequium præstare Christo. 2° Sanè, subdit Courayerius (2), hæresis est semper error involuntarius, propterea præ culpâ omnibus veniâ digna est. Nemo voluntariè errorem profitetur; quòd si criminis gravitas à libertate electionis dimetienda est, concludamus oportet, hæresim omnium culpâ minimam esse. Ergo.

Resp. ad primum, dist.: Certâ persuasionem, at erroneâ atque ex mentis arrogantia ac pervaciâ profectâ, concedo; persuasionem prorsus innocuâ, nego. Hæresis crimen non consistit præcisè in solâ mentis aberratione aut ignorantia, sed in pervaciâ voluntatis, quæ sese opponit Ecclesie magisterio, ex qua fit, ut privatum judicium quis præferat auctoritati legitimæ à Christo institutæ, ut suo loco vidimus, quod proinde includit perduellionem, et est omnium criminum in genere suo gravissimum. Cæterum etiam qui occidebant Apostolos et martyres putabant se obsequium præstare Deo, quin propterea excusabiles essent.

Ad secundum, nego juxta dicta, et sic corrumpit tota Courayerii argumentatio, quæ laborat, ut præfertur, falso supposito.

I. Inst.: 1° Inhumanum planè ac durum est ob opinionum diversitatem, infinitam propemodum hominum multitudinem sempiternis cruciatibus addici, quorum ceteroquin non pauci charitate, et evangelii zelo flagrant; eò magis 2° quòd principium istud de nullâ salutis spe extra Ecclesiam catholicam decedentibus contrarium charitati sit, et inducat in animum perpetuum odium adversus proximum. Ergo.

Resp. ad primum: Dist. ant.: Et hæretici præcisè ob meram opinionum diversitatem æternum puniuntur, nego; ob contumacem resistantiam Ecclesie doc-

(1) Cans. Bernardinus à Piconio, h. 1.

(2) Not. 119, ad lib. 1 Hist. conc. Trid. Paull Sarpi.

trinae, ac voluntariam perduellionem, concedo. Hoc verò posteriori sensu inhumanum ac durum esse quempiam damnari nemo affirmare poterit, quin dicat inhumanum ac durum esse hominem lethalis peccati reum ejusmodi damnationi subiacere. Cùm præterea, ut ex probationibus patet, Christus et Apostoli ita docuerint, jam non est quòd quis opponere queat hoc durum esse, quin Christi ipsius doctrinam reprehendat velut injustam, ipsumque ore blasphemio arguat iniquitatis, quòd sine causâ æternas pœnas comminetur. Respiciant, redeant unde discesserunt, et jam nulla erit ratio querimonie, quòd si nolint atque idcirco æternim pereant, id sibi imputent. Quòd si impunè quisque ac pro lubitu innovare posset in rebus fidei, jam actum esset de fide ipsâ et de unitate à Christo institutâ. Quod verò attinet ad zelum et charitatem, quâ plures inter suos flagrare prædicant, jam vidimus quid censuerit S. Cyprianus, cui addimus S. Augustinum de hæretico atque schismatico voluntario scribentem: *Foris ab Ecclesiâ constitutus et separatus à compage unitatis, et vinculo charitatis æterno supplicio punieris, etiamsi pro Christi nomine virus incenderes* (1).

Ad secundum, nego, nisi contra charitatem esse quis contendat quempiam admonere de mortali periculo, si cœptum iter insistere pergat. Cæterum Ecclesia nunquam non omnium sive hæreticorum sive schismaticorum sive incredulorum conversionem ac resipiscenciam exoptat atque efflagitat enixis ad Deum precibus, eos adhortari non desinit, ipsorum ruinam luget; veritas enim nescit odisse nisi errorem, ac diligit errantes quia charitas est (2).

II. Inst.: Ad salutem consequendam satis est honestè vivere, opera misericordie in proximum exercere; et sanè Christus in extremo judicii die minimè sententiam feret in præscitos, quòd malè crediderint, sed ex eo potiùs quòd malè vixerint: *Esurivi enim, inquiet, et non dedistis mihi manducare*, etc. (3) Ergo.

Resp.: Nego ant.: Tum quia Christus apertè dixit: *Qui non crediderit, condemnabitur*, cum reliquis, quæ adduximus in probationibus. Non sufficit proinde ho-

(1) Ep. 173, l. 204, ad Donat. Presbyt. edit. Maurin.

(2) Cùm doctus quidam protestans feriâ 6 maii hebd. officii divinis nostris interfuisset, ad teneras effusasque Ecclesie catholice preces, quibus ipsa Deum orat pro catechumenis, hæreticis et schismaticis, judæis, paganis, pio quodam entusiasmo veluti extra se raptus non potuit se cohibere quin exclamaret: *Date huic infantem vivum; hæc est enim mater!* 5 Reg. 3, V. Feller. Catech. philos. § 490. n. a.

(3) Matth. 25, 42.: *Ἐπειδὴ γὰρ, καὶ οὐκ ἔδοξατέ μοι φαγεῖν.*

Hic error, quem nonnulli sapientes neoterici Protestantés velut novum proferunt, antiquissimus est; etenim Apelles hæreticus seculi II, inter cætera docebat, non esse omninò examinandam fidem; sed unum quemque in eo, quod semel imbibisset, persistere oportere; quippe eos, qui in Crucifixo spem suam collocassent, servandos esse affirmabat, dummodò in bonis operibus deprehenderentur; Euseb. Hist. Eccles. lib 5, c. 15.

nestè vivere, prout olim pagani et ipsi dicebant, testè S. Augustino, qui propterea sub hoc prætextu recusabant Religionem christianam profiteri, sed necesse præterea est vivere vitâ supernaturali, quæ per fidem unicè haberi potest: *Sine fide enim impossibile est placere Deo; et justus ex fide vivit.*

Ad prob. autem dist.: Quia Christus partialem et inadæquatam causam damnationis exposuit, concedo; totalem et adæquatam, nego. Alioquin et mœchi et ebriosi, fures, etc., imò et Hebræi et Islamitæ et idololatræ, qui recensita opera misericordie exercerent, salvarentur, quod est absurdum. Voluit itaque illis verbis Christus ostendere solam fidem sine operibus ad salutem minimè perducere, secus ac docuerit Lutherus Protestantium parens (1), sed necessaria præterea esse opera bona, ut quis salvus esse possit; dicente eodem Christo: *Qui non credit, jam judicatus est* (2).

III. Inst.: Hujus seculi sapientia æquo animo ferre non potest immania ejusmodi dictata 1º quæ Dei ipsius indignam prorsus ideam ingerunt; 2º procul proinde amandandum est istiusmodi ignorantie ac superstitionis figmentum, cum quo nec philantropia, nec mutua vivendi consuetudo, nec ipse humanitatis sensus consistere possunt (3).

Resp.: Dist. ant.: Et nos debemus componere ac temperare fidei doctrinam ad cujusque ætatis sapientiam, seu sapientia seculi debet esse fidei regula, nego; lux et sapientia Christi, concedo. Si deberemus fidem accommodare pravæ hujusmodi regulæ, actum omninò esset de fide ipsâ, imò et de præceptis Decalogi, quandoquidem nec ista ferre potest, saltem in nonnullis præceptis, mundana illa sapientia. Hanc sapientiam relinquimus Protestantibus, Rationalistis et incredulis omnibus, qui cùm sibimetipsis sint et sapientie et legis norma, possunt pro lubito mutare quod ipsis placet; nobis non alia affulget lux, quam ea, quam attulit Christus in mundum, seu in seculum: tenebris obvolutum cui olim plures restiterunt; nunc verò plures eam à se quotidie repellunt, utpote minis accommodatam ipsorum cupiditatibus, ut aliam lucem luci Christi omninò contrariam sectentur. Apostoli aliter docuerunt, aliter sensit tota antiquitas, atque ipsi Protestantés, donec nova lux philosophica ipsis

(1) Hinc receptum illud ejusdem Lutheri effatum quod ei exprobrat ipsemet Gotius: *Pecca fortiter et crede fortius.* Vid. opp. Luth. edit. Wittemb. tom 6, fol. 160, à quo dogmate, ut patet ex adducto nuper testim. Elvers prof. Gott. nondum recesserunt Lutherani, etsi omnem fidem abjecerint; imò observat Cobbet (ep. 7, § 199) hanc unicam fuisse doctrinam in quam convenerint omnes illustres reformatores Ecclesie catholice, nempe *bona opera inutilia esse ad salutem*; et sanè, prosequitur ipse, eorum vitâ ratio comprobabat sinceritatem talis professionis, quia nemo erat inter ipsos, qui carnificis manum non sibi promereretur. Et hic interim rursus notetur coherentia et unitas Protestantium ex quibus alii docent ad salutem sufficere solam fidem sine operibus, alii opera sola sine fide. Feliciter!

(2) Joan. 3, 18: *ὁ δὲ μὴ πιστεύων ἔσθι κέκοιται.*

(3) Ita cit. Anonym. auct. Quelques réflexions, etc.

affulsit, ut ex dictis patet, imò ut proprium est eorum qui nullam regulam sequuntur, ad aliud extremum plures protestantes accesserunt excludendo à consecutione salutis illos etiam, qui ex invincibili ignorantia sectæ, ab illâ, quam ipsi profitebantur, diversæ adhæserunt (1).

Ad primam prob., nego. Alioquin dicendum foret ideam Dei prorsus indignam ingerere dictatum, quo adstruitur Deum æternis pœnis illum plectere, qui culpæ gravis reatu irretitus ex hac vitâ discederet, quod nemo nisi incredulus aut insanus dicit; talem verò esse ostendimus eum, qui culpabiliter hæresi vel schismati, aut incredulitati adhærens, migrat ex hac vitâ.

Ad secundam prob. pariter, nego superstitionis ac ignorantie figmentum dicendum esse dogma istud, quod apertè ad eò in revelatione continetur, atque in illo puro verbo Dei scripto, quod unicè pro regulâ habere Protestantés gloriantur. Sed ita est, quoties istud verbum Dei purum et scriptum aliquid continet quod cum istorum principiis consistere non potest, illud vel rejiciunt vel eludunt ejusmodi sapientes, quibus magis placent vana philosophiæ seu incredulitatis commenta, quam Christi doctrina. Quod attinet ad philantropiæ atque humanitatis sensum cum quo doctrina ista consistere nequit juxta adversarios, jam diluimus in responsione ad secundum.

Et hæc sunt argumenta, seu potiùs declamationes, quas solidis ad eò rationum momentis in re tam gravi opponunt sectarii, qui sic committunt negotium æternæ salutis subjectivæ suæ persuasioni; quid si deciperentur? Ipsi viderint.

PROPOSITIO XII. — *Tolerantia religiosa est impia et absurda.*

Duplex distinguitur tolerantia politica seu civilis, et theologica seu religiosa, quarum prima dici potest extrinseca, altera intrinseca. Tolerantia politica est libertas, seu facultas quam princeps vel republica tribuit civibus eam profitendi religionem, quam quisque maluerit; religiosa est expressa vel tacita

(1) Hinc Leibnitiuss fassus est « Ecclesiam Romanam longius quam Protestantés progressam non absolutè damnare eos, qui sunt extra suam communionem. » Cons. opp. Leibnit. collectio per Ludov. Dutens tom. 1 oper. Theol. Genevæ 1763. Tentaminum Theodicæ p. 1, § 96, ubi observat, quòd cùm aliàs hoc posuerit ob oculos cl. Pelissoni, perinde ac sententias plurium TT. Cathol. præsertim celeberrimi P. Friderici Spee, ipsum minimè abnuisse.

PERRONE. I.

profectio veritatis omnium religionum omniumque sectarum, quæ scilicet quilibet tenet religiones omnes aut sectas æquè veras ac bonas, hominiquè proinde omnes æquè salutare esse. Juxta istud principium nulla religio vel secta potest aliam tanquam falsam accusare ac respuere, atque inde oritur *indifferentismus*, quem vocant, erga religiones omnes utpote quæ tum veræ, tum bonæ, tum divinæ cum esse possint, perinde est unam potiùs quam aliam profiteri et sequi. Nos hic de tolerantia politica non disserimus, dantur enim nonnulla rerum adjuncta, in quibus ea non modò licita, sed etiam necessaria est.

Porrò tolerantiam religiosam impiam atque absurdam esse evincimus, 1º ex eo quòd per eam inutilis planè evaderet revelatio: si enim religiones omnes sive christianæ, sive antichristianæ æquè bonæ sunt ac salutare, ad quid Deus voluntatem suam hominibus patefecisset? Ad quid supplicia comminatus esset in eos, qui ejus resisterent voluntati? Nonne illusoria omnia ista forent? At verò, *non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur: dixit ergo et non faciet, locutus est, et non implebit* (1)?

Evincimus illud 2º ex eo quòd in tali hypothesi duæ vel plures darentur veritates sibi invicem contradictoriæ: hoc verò absurdum esse nemo non videt; etenim veritas individua est ac simplicissima, nec ipsi opponi potest nisi error et falsitas. Veritas necessariò excludit errorem et falsitatem, ut lux tenebras expellit, neque cum iis consistere ullo modo potest.

3º Ex eo quòd tunc Deus æquè patrocinaretur veritati et errori, et æquè diligeret et salvaret eos qui ipsi obsequerentur, et eos qui voluntariè et culpabiliter ipsi resisterent, rejicerentque veritates à se credendas propositas; et propterea, quod consequens est, Deus esset indifferens ad veritatem et falsitatem, ad virtutem et vitium, ad obedientiam ac perduellionem. Quod esset destruere ipsam Dei notionem, atque inducere Deum Epicuri.

4º Ex eo quòd Christus, si sermo præsertim sit de diversis christianorum sectis, auctor fuisset et revelator omnium contrariarum opinionum, quæ reperiuntur in diversis his ac propè innumeris sectis non solum divisim ab Ecclesiâ catholicâ, sed etiam intersc. Christus propterea se Deum esse et non esse revelasset; vel saltem indifferens esset ad utrumque, sive adoraretur ut Deus, sive haberetur ut simplex creatura, et sic de cæteris; ac licet ipse quidpiam docuerit, nihil ipsius referret, etsi quisque contrarium omninò doceret, ac sentiret, et hoc non ex

(1) Num. 23, 19.

(Neuf)